



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd diuersitas culparum, diuersitatem faciat poenitentiarum. xxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAGI

cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis eis denunciaret, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis abiiciuntur. Post hæc iubeat ministris ut eos extra ianuas Ecclesie expellant. Clerus verò prosequatur eos cum Responsorio: In sudore vultus tui vesceris pane, &c. ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremescant atque commotam, non parui pendant poenitentiam. In sacra autem domini ccena rursus ab eorum decanis, & eorum presbyteris, Ecclesie liminibus represententur.

Ut poenitentes quando poenitentiam petunt, impositionem manuum consequantur. Cap. XXVII.

*Ex eodẽ
cap. 7.*

Poenitentes tempore quo poenitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super capita à sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si aurea comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abiciantur.

Qua autoritate modus poenitentia peccata confitentibus imponi debeat. Cap. XXVIII.

*Ex cõcil.
Magunt.
cap. 10.*

Modus tempusq; poenitentia peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum autoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem probatam imponi debet à sacerdotibus. Nam qui peccatis grauib; leues quosdã & inusitatos imponunt poenitentia modos, consuunt pulillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, & facit cervicalia sub capite vniuersa aetatis ad capiendas animas, sed discretio seruanda est inter poenitentes publice, & absconse. Nam qui publice peccat, oportet ut publice miteretur poenitentia, & secundum ordinem canonum, promerito suo excommunicetur, & reconcilietur.

Quod diuersitas culparum, diuersitatem faciat poenitentiarum. Cap. XXIX.

*Ex dictis
August.*

Diuersitas culparum, diuersitatem facit poenitentiarum. Nam & corporum medici, diuersa medicamẽta

ta componunt, vt aliter vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractio- nes, aliter combustiones curent. Ita & spiritales medici, diuersis curationum generibus animarum vulnera sanare debent: sed quia hæc paucorum est, ad purum scilicet cuncta cognoscere, & curare, & mederi, atque vt in integrum salutis statum valeant reuocare, ideo solerter admonemus doctum quemque sacerdotem Christi, vt non ex suo sensu, sed secundum canonum statuta, & traditiones patrum vni- uersa disponat, & conditionem vtriusque sexus, ætatem, paupertatem, causam, statum, personam cuiusque, pœni- tentiã agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis in- spiciat: & secundum hæc, vt sibi visum fuerit, vt sapiens medicus, singula quæque diiudicet.

Quod multi sint fructus pœnitentiæ. Cap. XXX.

Multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiatio- *Ex dictis*
nem criminum peruenitur. Non enim tantum sim- *eiusdem.*
plici illo pœnitentiæ nomine, salus æterna repromittitur, vt illud apostolicum: Pœnitementi, inquit, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Et illud propheticum: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris, propter illum nudum gemitum, & propter illud nudum nomen pœnitentiæ, nullus saluabitur, sed per veram confessionem, & sacerdotis intelligentis cõsiliũ, & per charitatis affectum, & per eleemosynarum fructum, peccatorum moles subruitur.

Cur canones præfigant non perfecte pro vnoquoque crimine tempus & mensuram pœnitentiæ.

Caput XXXI.

Mensuram autem temporis in agenda pœnitentiã, *Ex dictis*
Midcirco non satis apertè præfigunt canones pro vno- *Hierony.*
quoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnum- quodque emendandum sit, sed magis in arbitrio antisti- tis intelligentis relinquendum statuunt: quia apud Deum non tam valet mensura temporis quàm doloris, nec abstinentia tantum ciborum quàm mortificatio vitiorum. Propter quod tempora pœnitentiæ, fide & conuersatione pœnitentũ, abbrevianda præcipiunt, & negligentia protelanda existimant: tamen pro quibusdam culpis, modi pœnitentiæ sunt impositi, iuxta quos cæteræ perpendendæ sunt cul-